

1482 mnus qui fecutus est, longe gravior, ita ut quidam eorum, qui de Ferrariensi bello nobis commentarios scripsere, quique rebus gerendis interfuerunt, affirmare audeant, periisse ex iis qui circa Ficariolum æstate illa terra & aquis fuere, ad viginti hominum millia, alios alio casu, sed longe plures febris palustri loco contracta. Hæc æstate illa in Gallia.

In Flaminia Rubertus Ariminensis & ipse ab initio belli nonnihil cum iis copiis quas habebat, hostem assiduis expeditionibus vexarat: ex Ravenna, ubi tunc Bernardus Bembus prætor erat, commeatus & omnia ad bellum necessaria illi mature subvehebantur: media fere æstate Patrum decreto Romam ad Xystum Pontificem obsidione levandum ire iussus est. Sub primos enim Venetorum motus Alphonsus Calabriae Dux cum quatuor millibus armatorum tentaverat ad Herculem sororium transire: verum quia per loca Pontificis omnino erumpere cogebatur, in Marfos primum, inde per Aequos ducens, Columnensibus & Sabellis, qui aperte a Pontifice defecerant, iuvantibus, in Romanum agrum descendit. Habet urbs Roma plerasque nobilissimas familias, quarum Ursini, Columnenses, & Sabelli celebritate nominis & opibus clarissimi habentur: hos discordia multis ante annis, æmulatione primo, inde apertis odiis in perpetuum pene certamen traxit: sæpe accidit ut armis inter eos media sit urbe disceptatum; sed foris tanquam liberiore campo sapius: quicquid oppidorum circumquaque urbi adjacet, illorum pene ditionis est. Sed quum præter hos multi alii sint Romani sanguinis Principes, Ursini jam inde a multis annis & armorum virtute & opibus cæteros longe præstare cœperunt. Extiterunt nostra memoria quatuor ex ea familia viri clarissimi, Caroli filii, Latinus, Joannes, Neapuleo, & Rubertus: duo illi Eugenium Pontificem (ut a majoribus accepimus) Florentiam secuti, tantum apud illum gratia & honore florere, ut Latinus, qui omnium maximus natus fuit, non multo post Cardinalis sit creatus, Joannes & ipse Tranensis Antistes declaratus,

am-